

## Dñica xij. post trinita.

puniendi nullus potest eum euadere. **Iuxta illud** **Job. x.** Nemo est qui de manu tua possit erigere. **Et Paulus ad Heb. x.** Horrendum est inquit incidere in manus dei viventis. **Ideo petebat** **Job. c. xij.** Manum tuam longe fac a me et fortitudo tua non me terreat. **O** utinam iste digitus videlicet potestas puniendi poneretur in aures carnalium predicatorum aut prelatorum vel mundi tyrannorum superborum avarorum aut luxuriosorum qui nolunt audire voces sanctorum doctorum. fortassis surditas auferetur. quia iam predictos valde punit ipse christus cum acceperit iudicandi tempus. **Iuxta illud ps.** Cum accepero tempus ego iusticias meas iudicabo. **Secundus** digitus est index eo quod ex illo indicamus. et est proprietas discernendi. isto digito omnia demonstrantur et iudicantur nuda et aperta tam bona quam mala in die iudicii. **De hoc habetur. ij. Machabeorum. xj.** Manus omnipotentis dei neque vivus neque defunctus effugiam. **Et apostolus. ij. Corinth. v.** Omnes nos manifestare oportet ante tribunal christi ut referat unusquisque prout gessit. **Et** reuera si iste digitus dei mitteretur aut poneretur in aures malorum spiritualium surdorum aperirentur. **Tertius** digitus est ceteris longior et est medius. et iste digitus in manu dei est benignitas differendi per quem expectat nos ut ad penitentiam redeamus et salvemur. **De hoc** **Gen. xlvij.** Salus nostra in manu tua est domine. **Et in ps.** fiat manus tua et salvet me. et sicut iste digitus extentus super planum nec pollex nec index possunt illud planum contingere. **Ita** quod diuina benignitas differendi extenditur nihil nobis potestas potest nocere puniendi. nec asperitas discernendi. istum etiam digitum immittit deus in aures surdorum cum benigniter differt punire peccata eorum. **Quartus** digitus dicitur medicus. **Est enim** manus dei potestas miserandi. in isto digito scilicet in manu ista solet anulus portari. et iste digitus consuevit anulo coronari. quia pietas dei inter omnia eius opera debet coronari. quia ipsa misericordia sapit dulcius. et hec pietas miserandi a vulnere christi emanavit. per quos omnis virtus spiritusque in nobis perfecte consummavit. **Job. v.** In crepationem domini ne reprobes. quia ipse vulnerat et medetur. percutit et manus eius sanat. **Ideo** petebant isti in evangelio ut imponeret huic surdo manus ut sanaretur. **Quintus** digitus est brevissimus et vocatur auricularis. hic digitus in manu dei est facilitas exaudiendi preces nostras. de quo **ps.** Aperis tuam manum tuam et implebis omne animal benedictione. **Dos** quique digitos quotidie immittit deus in aures pecca-

torum ut a surditate sanentur hic a peccatis et tandem saluentur in celis. **Sicque** potest sermo nem concludere ne prolixitate videaris populum onerare.

### De eadem dominica. Sermo secundus

**A**dducunt ei surdum et mutum. **zc. Matth. vij.** **Experientia** scimus quod tempore nubilo si nubes alteri nubi obuiaverit aut ad ipsam venerit mox pluvia iminebit. et hoc confirmat commentator de ipressione aeris. **Nubes** inquit dum ad nubem accesserit imber continuo presto erit. **Cuius** rationem ponit simplicius. quia nubes nubi adueniens comprimit et coarctat. vel quia nubes a se invicem quedam mutuo sumunt humorem. quo humore sumpto pluvia continue comitatur. **Spiritualiter** per nubem uno modo intelligitur divina consolatio. quia sicut nubes tempore caliditatis nimis hominibus prestat solacium. **Sic** et divina consolatio hominibus in estu tribulationis mundane fert presidium. **Ideo** figurat per columnam nubis que filios israel a calore solis per diem protegit dum de egypto exierunt. de qua dicit **ps. ciiij.** Expandit nubem in protectionem eorum et ignem ut luceret eis per noctem. **Quia** dicitur **Exod. xij.** Dominus autem precedebat ad ostendendam viam per diem in columna nubis. ubi per nubem intelligitur divina consolatio. **Alio modo** per nubem vita hominis designatur. **Iuxta illud Sap. ij.** Transerat vita mea sicut vestigium nubis. **Sed** per pluviam innuit interna gratia. **Iuxta illud ps.** Pluviam voluntariam segregabis de hereditate tua quasi diceret. **Deus** gratiam hominibus infundit. modo ad propositum sicut dictum est nubes accedens ad nubem hic in terris causat imbrem. **Sic** divina consolatio accedens ad hominem infundit gratiam sanitatis et iuvamen. aut si homo ad deum accedit gratia eius degustabit. **Iuxta illud Aug. i. li. sol.** Accedite ad deum homines. mox partem iocunditatis suavitatis interne. et hoc partem clarum de surdo et mutum cui cum christi sua consolatio divina appropinquavit exiens de sinibus tyri mox gratiam pluviam sensit. **Cum** ipsum audire loquique fecit. ut dicit evangelium presens. in quo principaliter duo notant. primo cuiusdam hominis infirmitas ibi. **Adducunt ei.** secundo curantis christi ordo et qualitas ibi. appropinquavit eum. **Pro quo** sciendum moraliter per hunc surdum.



et mutum intellige peccatores. De surditate peccatoris vide sermone precedenti. Sed peccator dicitur mutus in tribus principaliter. primo in confessionis dilatione. differt enim confessionem suam propter quatuor causas. Prima est timor reciduationis. In hoc enim quod timet peccator in peccata recidivare solet confessionem suam prolongare. Sed stultus est hic timor. Si enim deo dedit tibi gratiam confitendi dabit et gratiam standi atque peccatis resistendi. Ideo dicit Gregorius in moralibus. In quantum nobis deus bona tribueret si non esse quod dedit custodiret. Cum autem in cassum bona sua non tribuat. patet. quia omne quod dederit dummodo cooperaris quantum ad te pertinet custodire. Est tamen circa hoc notandum. quod timor ille reciduationis nullus est si tria adverteris. Primum est hostis debilitas nulli enim hostis ille antiquus diabolus nocere valebit qui ei voluntarie non obedit. Juxta illud Gregorius. Debilis est hostis vincere non potest nisi volentem. Non enim potuit intrare porcos. Matth. viij. Nisi petita licentia et obtenta. domine inquit. Si ejicis nos hic mitte nos in porcos. nec unam ouiculam beati Job. potuit auferre nisi permissus. Job. i. Ideo dicit Iacobus. Resiste diabolo et fugiet a vobis. Et beatus Bernardus dicit. Diabolus excitare temptationes nititur. sed in te est si volueris dare vel negare consensum. Ex quo patet quod illi qui se excusant dicentes. diabolus me fecit peccare male dicunt. quia nisi homo velit ei consentire non potest eum diabolus in peccatis implicare. Quod dicit beatus Augustinus super psalmum. Diabolus plerumque nocere vult sed non potest. quia potestas eius sub potestate dei est. nec etiam potest ipse quicquam in bonis operibus nisi occulte et maliciose impedire. non autem manifeste. Quia dicit Nicolaus de lira super Alee. vi. quod demones signantur per istos qui Neemiam et socios eius non potuerunt impedire manifeste ab opere muri. quia una manu pugnabant et alia murabant propter quod conuerterunt se ad malicias occultas ut si impedirent eos sub specie pacis ut dicit Alee. vi. Sic videntes demones se sanctos homines impedire non posse per apertas temptationes. ab opere muri vertunt se ad malicias occultas et sub specie boni querunt hoc impedire. Exemplum de hoc in libro collationum patrum abbatis Moysi colla. prima de sancto Johanne abbate quem diabolus sub specie boni ad immoderatum induxit ieiunium intantum quod per hoc fuit a melioribus impeditus. Ideo debemus contra eos pugnare et cum hoc merita cumulare. Quia

dicit Babanus super libro machabeorum. In edificatione hierusalem patres nostri una manu pugnabant altera murabant. Per quod intelligitur quod in edificatione celestis hierusalem una manu pugnare debemus contra vitia. et altera murare celestia scilicet merita congregando. Secundum quod reciduationis timorem nullum facit est sanctorum communitas. peccator enim in peccatis existens solus est et vel si ceciderit in ampliora peccata non habet sublevantem. Ecclesiastes. iij. Sed post confessionem sanctorum societati coniungitur et communitati. et hoc nihil aliud est quam spiritualium bonorum per sanctos acquiritorum congregatio. de quibus unusquisque in ecclesia numero et merito existens itantum participat in quantum se capacem facit mediante adiutorio diuine gratie. ut si impartiat meritum christi adiutorium et meritum sanctorum in celo et in terra. Ecce quantum tua confessio valet ut te tantis bonis associet. Ideo dicit Leo papa in sermone. plenissime obtinetur remissio peccatorum. ubi totius ecclesie est una oratio. quare debet quilibet homo non tardare ut communitati bonorum societur. quia communitas ecclesie omnes hostes spirituales debilitat. Si cut figuratum est. Iudic. xv. quod principes filiorum israel uno agmine procedentes debilitabant omnes hostes quos poterant inuenire. Quid sunt viri israel nisi veri christiani in unitate fidei associati aut communitas sanctorum in ecclesia militante existentium que suis hostibus terribilis est ut castrorum acies ordinata. Cantico sexto. Est tamen notandum quod ad hoc quod homo capax sit bonorum que fiunt in communitate sanctorum tria requiruntur. videlicet fides. obedientia. et charitas. et volens esse particeps fideliter credat. humiliter obediat. et veraciter diligat. Qui enim rumpit fidem fit hereticus. Qui rumpit obedientiam fit scismaticus. qui rumpit charitatem fit excommunicatus saltem excommunicatione minori. et a comunione sanctorum separatur. Qui autem predicta tria debite seruat habet triplicem funiculum qui difficulter rumpitur. Eccl. iij. Triplex funiculus difficulter rumpitur et conseruatur tali funiculo in ecclesia ut sit particeps omnium bonorum que fiunt in ea. Nam sicut in ecclesia credentium est cor unum et anima una. Actuum. iij. Ita omnia bona spiritualia sunt eis communia quamuis unusquisque participet de illis plus quam alter. Item quod ipse semper predicta tria se plus disponit ad capacitatem applicando vires suas cum maiore seruire desiderio et labore ut habeat fidem charitate



## Dñica xii. post trinita.

formatam. et obedientiam tam humilitate quam charitate armatam. Tercium quod timorem reciduationis nullum facit est diuini auxilii securitas. securus enim debet esse confitens quod a deo nunquam derelinquatur. Quod considerans Dauid ait psalmus. Dominus adiutor et protector omnium sperantium in se. Et in alio psalmo. Dominus defensor vite mee a quo trepidabo. Ideo hortatur quemlibet confessum beatus Augustinus. Projice inquit te in deum quia non est ita crudelis ut tibi te subtrahat et ne cadere permittat. Secunda causa quod peccator est mutus deferendo confessionem suam est nimia presumptio diuine miserationis. Quando enim homo de misericordia dei nimium presumit. confiteri peccata dimittit. Contra quod dicit Sapiens. Ecce. v. Ne dixeris peccaui et quid accidit mihi triste quasi diceret. Ita bene vel melius est mihi sicut non peccanti. et hoc frequenter accidit quo ad bona temporalia. Et addit. Altissimus enim patiens est redditor. Nam secundum glossam aliquando expectat per totam vitam. et tunc infert inferni penam grauissimam. Et iterum dicit ibidem. Non adicias peccatum scilicet per reciduum super peccatum. et ne dicas miseratione dei magna est. Glossa. de dei misericordia nimium sperando peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim et ira ab ipso cito appropinquant et in peccatore res prospicit ira illius. Ideo dicit Anselmus in libro similitudinum. Tempore temptationis ante culpe perpetracionem. nunquam debet dei misericordia cogitari. sed iusticia et iudicium eius ira et indignatio illius hec debent pensari et ante oculos mentis perducere et reduci. Quoniam quando quis temptatur non debet dici misericordia dei magna est. sed dicere horrendum est incidere in manus dei uiuentis. Quando appetitus luxurie quemlibet pulsant non cogitat tunc quacumque hora homo peccator ingemuerit omnia peccata eius obliuioni traduntur. sed potius cogitando tractat. maledictus est omnis ille qui in spe peccat. Et illud Esaias. j. De genti peccatrici populo graui iniquitati semini nequa filijs scelera tis. Si autem commissio peccati facta est tunc deinde misericordia dei perpensius cogitanda est ne desperatio venie superueniat. hec ille. Et quamuis de dei misericordia tunc est cogitandum non tamen de hac est nimium presumendum propter tria. Primum est iusticie dei inflexibilitas. Nam eius iusticia post hanc vitam erit inflexibilis cuius misericordia nunc est placabilis. Nam secundum Sapiemem Proverbia. vi. Zelus et furor viri non parcat in die vindicte nec acquiescet cuiusque

precibus nec recipiet pro redemptione dona plurima. Ideo dicit Sapiens Ecclesiastici. v. Ne tardes conuerti ad dominum scilicet per penitentiam veram. et ne differas de die in diem. subito enim veniet et in tempore vindicte disperdet te. Et beatus Gregorius qui inquit. modo loquitur pater misericordiarum et deus totius consolationis. legitur etiam. Deus ultionum. dominus iustus. iudex terribilis super filios hominum. Secundum est comminationis asperitas. de qua in psalmo septimo. Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrabit. et cetera. Et Luc. xiiij. Nisi penitentiam egeritis omnes simul peribitis. Et beatus Augustinus super illud psalmus. Arguam te et statuam contra faciem tuam. Quid inquit faciem arguendo non te vides. Sed faciam ut te videas. Quia si videris peccatum tuum displicebis tibi et placaberis mihi cum iudicaberis tibi cum ardebis. Tercium est diuina expectationis securitas. Unde Esaias. xi. Diu filii et patiens fui et nunc quasi parturiens loquar. quasi diceret secundum Augustinum. Securitatem meam distuli. patientiam meam prolongavi. penitentiam tuam diu expectavi. Sed quia mihi obedire noluit accipe quod meruisti. Et beatus Gregorius inquit. Necessarium est ut cum expectare nos diu conspiciamus. ipsa pietatis tempora quasi damnationis timeamus augmenta. Tertia causa quod peccator est mutus non confitendo est rubor confusionis. quia multos tardat confusio et multos facit ne confiteantur quamuis ante propositum habeant confitendi tamen peccatorum enormitatem insipientes statim obmutescunt. De quibus Esaias. xxxvij. Venerunt filij usque ad partum et non pepererunt. Ideo dicit Augustinus. Confiteri erubescis et peccare presumis erubescis coram homine et non erubescis coram deo et omnium sanctorum agmine. Et quedam glossa. perpeccatum est in his erubescere que honores conferunt eternorum. et his audere que viam accelerant perditionis. Et notandum quod iste rubor confusionis nihil est si tria considerentur. Primum est conscientie inquietatio. Peccatum enim quod homo pre confusione non vult confiteri conscientiam non finit esse quietam. Sed semper in merore conturbatam. attestante Seneca. Bona conscientia in multitudine libera. Mala autem in multitudine et solitudine anxiosa est. et ergo melius est semel erubescere quam semper pauere cum nihil honestius possit esse quam bona conscientia. De conscientia etiam bona sic loquitur Bernardus. Quid ditiys in rebus quid dulcius. quid in omnibus securius et quietius



bona conscientia. damna reru non metuit. ver-  
borum contumelias et corporis cruciatu sper-  
nit. imo ipsa mortua magis erigitur q̄ deiciat̄  
**S**ecundum est peccatorum contemplatio. Na  
q̄ deus et omnia agmina celestium sunt cōtem-  
platores tuarum sordium multum debent pec-  
catores hortare ad confitendum. Quia dicit  
**Augustinus** super ps̄. Si confessus fueris latef  
non cōfessus damnaberis. Sed hic oritur vna  
dubitatio ex quo dicit **Augustinus**. Si confes-  
sus fueris latef. vtrum peccata confessa et per  
penitentiam deleta in iudicio generali latebūt  
aut erunt reuelanda? Ad hanc dubitationem  
beatus **Bernardus**. **Anselmus** de similitudi-  
ne. c. vj. Et textus apostoli cum **Blo.** sanctus  
**Thomas** et alij theologi. q̄ omnia taz bona q̄  
mala nota erunt omnibus. quia dicit **Blofa** su-  
per illud. i. **Chorinth.** iij. Manifestabit cōsilia  
cordium q̄ gesta et cogitata. bona et mala no-  
ta erunt omnibus tunc. Et beatus **Bernardus**  
tractans illud verbum dicens. Cunctaq̄ cun-  
ctorum cunctis archana patebunt. Et ratio ē  
quia ostensio malorum in bonis est ad manifest-  
tationem misericordie prius impense. ostensio  
vero bonorum est ad manifestationem iusticie  
conuerso in malis erit ostensio malorum ad  
manifestationem diuine iusticie. tunc punientis.  
ostensio vero bonorum ad manifestationem diui-  
ne iusticie parentis et manentis. Nec tamē ostē-  
sio nec cedit in infamiam vel verecundiam. Sed  
ad gratiarum actionem in bonis et ad dei glori-  
am saluandis et liberandis. Sed diceret. videt̄  
q̄ peccata erunt tūc tecta. Iuxta illud ps̄. xxxj  
Beati quorum remisse sunt iniquitates et quorum  
tecta sunt peccata. Item. j. ps̄. iij. Charitas  
operit multitudinem peccatorum. Ad ps̄. dicit̄  
tur fm̄ ipsum peccata dicūt̄ tecta quo ad eru-  
bescentiam non quo ad conscientiam. Quantu  
ad punitionem non quantum ad agnitionē. Ad  
aliud dicitur. q̄ peccata operiuntur et non re-  
uelabuntur quo ad penam et ad diuine iusticie et  
misericordie euidentiam. Istud persuadet qui-  
dam doctor sic. Si rex remisset tibi centum li-  
bras pro obulo vno. nonne si gratus esses nar-  
rares beneficium regis omnibus amicis. et di-  
ceres regratiamini regi pro me in tanto sibi te-  
nebar et pro tanto mihi dimisit. Eodem modo  
pro peccato mortali merebaris penam eternam  
et remisit tibi pro pena temporali. que nulla p-  
portionem habet ad penam eternam. multoma-  
gis deberes idem beneficium valde manifestare  
et alio probatur sic. Ex quo cuilibet beato in  
deliberatiōe tua a peccato magna materia gau-

dij a bonis subtraheret. Si ignoraret gratiam  
sibi factā. nec oportet de erubescencia ptimesce-  
re. q̄ si deus potest ignem facere a pximiori cō-  
bustibili sine cōbustione potest facere noticiam  
peccatorum tuorum etiā alijs et q̄ idē sciūt sine eru-  
bescentia q̄ causalitates reru suspendit quādo  
vult. vt dicit **Polcot** sup li. Sap. lec. vij. Tertiu  
est peccatorum exprobratio. nam de⁹ et angeli ei⁹  
et oēs demones pctā exprobrabūt. Quia dicit  
**Ezech.** xij. Ecce congregabo oēs amatores tu-  
os quibus cōmixta es et oēs quos dilexisti scili-  
cet diabolos et pctā tua cū vniuersis quos odes-  
ras scz angelos et virtutes et nudabo ignominia-  
m tuam coram illis et dabo te in manu horum.  
et denudabunt te vestimentis tuis et lapidabunt  
te. Super quo dicit **Bern.** Quid tunc confusio-  
nis ac quid miserie quidue doloris qm̄ dispersis  
folijs vniuersa nudabitur turpitudine et peccato-  
rum sanies aperietur quando vermis conscien-  
tie consumet immortalem. nec tamen erit locus  
dissolutionis nec consolationis. Quarta causa  
est omnium pessima quare peccator censet mu-  
tus in confessione est malum desperationis. q̄  
interdum heu accidit q̄ homo post multa pec-  
cata in desperationem diabolo procurante cas-  
dit. Iuxta illud **Proverb.** xviij. Impt⁹ cui⁹ in p-  
fundum peccatorum venerit contemnit. s. confi-  
teri. sed tñ non faceret si tria consideraret. vide-  
licet longam expectationem. crebrā vocationē.  
et benignā receptionē. Primo quidē si longam  
dei expectationē cōsideraret nullatenus homo  
desperaret. quia dicit ps̄. iij. Preterea expectat  
vos deus vt nostri miseriatur. quia deus iudi-  
cij dñs est. Et Sap. xj. Misericors omnū q̄ oia  
potes et dissimulas peccata hominū ppter peni-  
tentiam. Et **Ezech.** xxxij. Nolo inquit domin⁹  
mortem peccatoris. Sed magis vt cōuertatur  
et viuat. Quare dicit **Bern.** Magna est miseri-  
cordia dei in nobis qui nostram conuersionem  
dulciter expectat. nos prolongam⁹ multo tem-  
pore iniquitatem nostram et ipse vero prolongat  
pietatem suam. Secūdo ppende ei⁹ crebrā vocati-  
onē et post terga malignam desperationem. Au-  
di q̄ vocat te. **Can.** v. Reuertere reuertere suna-  
mitis reuertere reuertere vt intueamur te. q. d.  
fm̄ **Ray.** O aīa captiua quā diabol⁹ delitijs mū-  
di tenet reuertere p cordis p̄tritionē. reuertere  
p oris p̄fessionē. reuertere p opis satisfactionē.  
p bone vite p̄tinationē. vt itueamur te. i. vt sic  
possum⁹ videre in te imaginē dei et similitudinē quē  
feruenti desiderio optam⁹. Et itez **Piere.** iij. di-  
cit dñs. Fornicata es cū amatorib⁹ tuis reuer-  
tere ad me et ego suscipia⁹ te. Ideo o peccator



## **D**ñica xii post trinita.

si ad tempus propter multitudinem peccatorum tuorum desperasti. reuertere ad dominum per veram omnium peccatorum tuorum confessionem. Quia dicit **Iohannes chrysostomus** de reparatione lapsi. Amplius letatur deus de anima desperata et aliquando conuersa quod ea que nunquam extitit perdit. Sicut de perduto filio qui mortuus fuerat et reuixit perierat et inuentus est. de cuius regressu fit gaudium magnum patri non aliter nisi coram deo et angelis copiosius est gaudium de eo qui a periculo liberatur quam de eo qui nunquam nouit periculum. Et subdit. Quantum enim tristat perditum. tanto magis letificat si fuerit inuenta. Sicut dominus in euangelio ait. Pastor ille exultauit qui perditum ouem humeris suis gaudens reportauit. Et subdit iterum. Nullus enim desperare debet veniam etiam si circa finem vite conuertatur ad penitentiam. vnumquemque enim deus de suo fine non de preterita vita iudicat. In vita hominis finis querenda est. quia deus non respicit quales antea uiximus. sed quales circa finem vite fuerimus. hec ille. Tertio uide peccator christi benignam receptionem. nec sic labaris in desperationem. Nam de filio prodigo. **Luc. xv.** patet. Qui redeunti occurrens pater benigne eum recepit. et in amplexus eius ruit et osculum ei dedit. stolam primam et omnia perditum ei reddidit et conuiuium solenne fecit. quare hoc. Quia dicit **Bernardus**. Non sicut pius dominus magis honorare penitentes quam innocentes quam manentes. quia deuotior est feruidus penitens quam tepidus innocens. Secundo peccator dicitur mutus in correctionis dimissione. et sic principaliter sunt muti presidentes et prelati qui deberent peccata suorum subditorum corripere. Sed propter amorem et seruum dissimulant peccata ipsorum. De quibus **Gregorius** in pastoralis capitulo. **xv.** et ponitur **dis. xliij. c.** Sit rector. Sepe inquit rectores improbi humanam amittere gratiam formidantes loqui libere recta pertimescunt et iuxta veritatis vocem nequaquam in gregis custodire pastorem studio. Sed mercenariorum vite deseruiunt. quia ueniente lupo fugiunt dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos dominus per **Isa.** increpat dicens. **c. lviij.** Canes muti non valentes latrare. hec ille. Et nota si subditi ratione taciturnitatis prelatorum peccauerint deo rationem districtius reddent. Quia dicit **Ezech. iij.** Si dicente me ad impium morte morieris et non annunciaueris ei neque locutus fueris ut auertatur a via sua mala et impia et uiuat et ipse

in iniquitate sua moriatur. sanguinem eius de manu tua requiram. hec uide supra sermone. **x.** de **Peli** qui punitus est eo quod filios suos non correxit. de hac materia uide plura supra **f. xxix. R. l. et. liij. D.** Tertio peccator dicitur mutus in iusticie expressione. multi enim iudices propter cupiditatem sepe fiunt muti et uerum iudicium obtruncant quales fuerunt illi de quibus primi **Regum octauo** dicitur. Ambulauerunt filii israel post auariciam et ceperunt munera et peruerterunt iudicium. Tales enim iudices si propter pecuniam recte etiam iudicant nihilominus peccant. Sicut dicit **Gregorius. xj. q. iij.** Qui recte iudicat et premium retributionis expectat in deum fraudem perpetrat. quia iusticiam quam gratis impartiri debuit acceptione pecunie vendidit. Et dicitur **Extra de rescriptis. Statutum.** libro sexto. Si litigantes fuerunt notabiliter pauperes etiam expensas non exigat. Sed hic oritur una questio. utrum iudex qui scit accusatum ad penam aliquam scilicet capitis vel aliam coram se immunem penitus a culpa que sibi imponitur an debet tacere. et secundum dicta accusantium eum condemnare. Ad hoc dicendum quod iudex ex officio debet testes volentes periurare niti. repellere a testimonio etiam si accusatus taceat vel quia sunt ignoti vel infames vel grauis opinionis. secunda questione **tertia. capitulo. Que** rendum. Si uero non perpendit quid uelint dicere nec est ei obiectio quam apponat tunc testis debet esse persona communis et potest iuramentum eorum recipere. et tunc si in narratione facti inuenerit eos deuolare a uero similiter examinet et inuestiget vel perpendentem inuestigationem possent inuenire causam repellendi eos sicut fecit **Danie. xliij.** de duobus senibus **Susannam** false accusantibus. Si uero nullo modo potest repellere. Et probant secundum formam iuris et sufficiunt. hic dicunt fere omnes doctores catholici. quod determinare debet secundum allegata. et probata. quia secundum conscientiam quam habet et iudex debet iudicare. Quia dicit **Ambrosius. Iudex** non debet iudicare secundum suam priuatam conscientiam quam apportauit de domo. sed secundum iura allegata et probata coram ipso dum sedeat pro tribunali. ut probatur. **ij. q. viij. cap. Iudicet. Et. xxx. q. v. capitulo. Nullum** iudicantem. Dicit tamen **Alanus** et **Hugo** quod consulendum est uerius tali quam deleget alteri si fieri potest quod sententiam remittat ad superiorem ut siue ille inferat siue precipiat isti alleuiet ex hoc conscientia sua